PRÆSIDE
ARCHIATRO COELESTI,
CONSENTIENTE ET JUBENTE
GRATIOSISSIMO FACULTATIS
MEDICÆ ALTDORFINÆ
COLLEGIO,
DISPUTATIONEM INAUGURALEM
De

PARALYSI
EX COLICA

Pro SUMMIS in ARTE MEDICA HONORIBUS
& Privilegiis DOCTORALIBUS legitime
impetrandis,
Solemni ΦΙΛΙΑΤΡΩΝ examini proponit
PAULUS FRANCISCI,
Corona Transsilvanus, Poliater Wunsidlensis.
d. 27. Jun. A. R. S. M. DC. LXXIIX.

ALTDORFI
Typis Johannis Henrici Schönnerstædt.

2

VII. *Terminatio* itaque morbi unius in alium, est vel *Critica vel noncritica.* Cave vero,sis,ut intelligas actionem criticam *perfectam*, quæ consistit in totali causæ morbificæ per loca convenientia extra corporis provincias eliminatione, adeoque morbi plenaria solutione, sine omni recidivæ metu; sic febres quædam per sudationem laudabibiter à natura institutam perfecte solvuntur; *sed imperfectam*, quæ fit per causæ morbificæ ad loca ignobiliora, cum ægrotantis facili tolerantia & conferentia, transmissionem, (*vid. Ecellentiss.* DN. JACOBUS PANCRATIUS BRUNO, *Phil. & Medic. Doctor, hujusq; Prof. Publ. Celeberrimus, Facult. Medicæ h. t.* DECANUS *Spectatissimus, Præceptor atq; Patronus meus pie venerandus, Dogm. Med. Gener. pag. 438.*) ut cum per decubitum febrilis materiæ ad articulos vel juxta maxillas, aliasq; glandulas, febres solvuntur & finiuntur, de quibus consulatur *Hippocr. 4. aphor. 31. &* 44. *Non critica morbi unius in alium terminatio est*, quando priori morbo cessante, alius novus diversi generis generatur, fitque hoc. (*1*) *per materiæ morbificæ ex una parte in aliam translocationē*, ut quando humores anginā producentes, in pulmones ruunt, *vid. aph.* 10 *f.* 5. ibique, priori relicta morbi sede, musculis nempe fauciū, vel peripneumoniæ, vel exulcerationi fundamenta ponunt; vel cum a pleuritide peripneumonia oritur. *Hipp. 6. aph. 11.* itidem per causæ morbificæ a pleura ad spongiosam pulmonum substantiam, detrusionem &c. (2) *per pravitatis unius humoris alteri communicationem*: quando v. gr. febre putrida laborantes propter crisim imperfectam, materia febrili ad cerebrum delata, spiritibusq; animalibus tanquam cerebri incolis, communicata motibus convulsivis & tremulis fiunt obnoxii: *vid. Willis de febr. p.* 184. ita febres intermittentes, propter succi poncreatici præternaturaliter dispositi copiosiorem sanguini admixtionem haut raro degenerant in continuas (3.) *propter humorum retrocessionem sive palindromiam*; ita dum sanguis erysipelaceus, acris & mordax a partibus externis, vel proper intempestivam & imperitam curationem, vel aliam occasionem, interiora rursus petit, sanguiniq; in vasis conterraneo conjungitur, malum certe prognosticum est, juxta *Hippocr. 6. aph.* 25. ad quascunque enim partes depositus fuerit, ibi inflammationes, incendia febrilia, aliaq; mala pariet: ita ex bubonibus, propter materiam excrementitiam prius

absorptam, & sanguini rursus communicatam, febres oriuntur, eæq; omnes malæ, præter ephemeram; *vid. aph. Hipp. 55. s. 4.* atque si a nervis eorumq; latice resorbeatur, quantas ibi excitabit ægritudines? (4.) *propter rei utilis & necessariæ ab una parte ad alteram necessario transmittendæ denegationem*; ita frequentissime degenerat apoplexia in paralysin, propter principii spinalis medullæ ex subsidentia cerebri ortam obstructionem spirituum animalium influxum inhibentem. Hi sunto præcipui modi, quibus morbus alius in alium terminatur. Quo vero ex dictis Contractura generetur ex Colica, (vel doloribus eam mentientibus,) infra indigitabitur.

IIX. Colicum dolorem esse depravatam sensationem ob violenti tangibilis, sive id sit humor acris & mordax, adeoque salinus; sive flatus, sive excerementa lenta, tenacia, vel indurata; sive aliæ res præternatural. vel ibidem genitæ, vel illuc transmissæ, v. g. calculi, vermes &c. continuum coli vel partiũ ei confinium & vicinarum dissolventis molestam præsentiam excitatam, vulgo notum est. Ubi non sine ratione B. L. leges verba addita, *vel partium ei, (intestino colo) confinium & vicinarum*; notasse enim heic juvabit, dolores illos imi ventris immanissimos, colicos vulgo putatos, non semper esse revera tales, h. e. intra intestini coli cavitatem hærentes & fixos, ejusque continuum solventes; sed quam sæpissime in partibus ei communi intestinorum vinculo, mesenterio videlicet hujusq; plexu nervoso connexis matrem infelicem vehementi, sed infausto nixu parere; Testatur hoc & *Horst. Tract. de Scorb. p. 34.* ex *Eugaleno* non semper in intestinis, sed & vicinis partibus causam doloris colici adesse: *Vid. & Fernel. l. 6. pathol. c. 10. p. m. 574.*

IX. Atqui notare licet apud Practicos & Observationum Medicarum Scriptores, præsertim antiquiores, varias colici doloris species, variis quoque causis, propinquis intellige & antecedentibus, originem suam debere: ita si quem a flatibus vel intestini coli cavitati, vel ejus tunicis inhærentibus oriri notarunt, adfectum hunc præternaturalem *Colicam flatulentam* dixerunt; si ab humoribus acribus & biliosis intestini coli continuũ solventibus dolorem excitari observarunt, *colicam* adesse *biliosam* concluserunt: quod si lenta tenaxq; & frigida materia fixam ibidem sedem posuerit,



B. C. D.

ΠΑΡΑΛΥΣΕΩS ex Colica brevis adumbratio.

I.



Nter intricatas, quæ corpus humanum misere torquere solent ægritudines, haut infimæ sortis habetur dira illa Morbonæ soboles, Colica, quæ nonnunquam instar pali infixi, fixa, sed tristissima miseros vexat sensatione; non raro erronum instar vagis ægrotantes excruciat torturis; nonnunquam patrio relicto foco exteras hostiliter invadit regiones, quarum sanguinem & medullam lambendo omnem eis exsuit vim, omnem fere facultatem, & non tantum usque ad lethum eas enervat.

II. Scilicet frequentissimum est, ut propter sanguinis, inæstimabilis illius vitæ thesauri, variam a statu naturali degenerationem, inter alias passiones & Colica suum quærat in humano corpore hospitium; quo invento, tanta in incolas nonnunquam sævit atrocitate, ut penitus eos morti tradere videatur: ast, sicubi aliquando mitiorem vultum conspiciendũ præbet, vel pristinam imperii sui sedem deserere putatur, ecce! prioribus jam satis vexatis, alias ejusdem corporis, imo sortis & juris adit inquilinos, quibus non minori dominatur sævitia.

III. Sæpissime namque fit, ut humani corporis Archeus in sanguine latitans, a portionum heterogenearum, vitiosarum, inutilium, earumq; variarum, cum eo, sanguine, conjunctione, permixtione, impertinentia, importunitate, lacessitus, irritatus, iracundus quasi fiat & furibundus, adque intestinum colum (vel partes ei confines & cohærentes) a quo malum illud, quod colica passio dicitur, nomen sortitum est) evagatus, ibidem

dem sæviat, (est enim ut vitæ, ita & necis, adeoque & morborum autor & auctor) idem lancinet, ejus continuum, fibras distendendo, mordicando, rumpendo, solvat, atque sic atrocissimam tristissimamq; doloris producat sensationem; hocque facit, dum pugnam cum se molestante causa morbifica in portionibus heterogeneis &c. jam aliquo modo tactis, & p. p. specialiuus tangendis, consistente instituit, non absimili ratione, ac Princeps hostem ex territorio suo non sine suorum jactura propellit.

IV. Colica vero vel quasi, sic nata, frequenter, experientia teste, sede priori relicta, in artuum paralysin sive resolutionem terminatur; cujus methodum cognoscendi, per causas generandi, medendi, qua quidem fieri potest, brevitate, in seqq. trademus.

V. Notissima autem est Artis nostræ salutaris filiis notatio nominis παραλύσεως ἀπὸ τοῦ παραλύεσθαι, quod resolvi significat, derivanda; unde & Latinis dici consuevit Resolutio, primario quidem nervorum, secundario artuum; quippe quod propter nervos male constitutos & paralysin patientes, & membra sive artus, quibus per hos proximum regularis motûs instrumentum, spiritus nempe animalis, communicatur, eadem de labe participent. Dicitur etiam Contractura, *a Jacob. Horst. in observat. Schenk. 179. & Plater. prax. part. 1. fol. 332. Gregor. Horst. in problem. Med.* ob levem præsertim in manibus, (quæ quasi pendulæ habentur,) eorumq; digitis, (qui incurvantur) contractionem; unde quoque vulgo contract sein / auditur; alias idiomate germanico vocatur lahm seyn/oder die Erlahmung; item in quibusdam locis, die Gicht/ item die Contractur nach dem Reissen. Dicitur & πάρεσις it. Mollificatio, cujus denominationis causa *vid. ap. Sennert. prax. l. 1. part. 2. c. 27.*

VI. Ast vero, ut sciatur accuratius, nobis heic non esse sermonem de παραλύσει ut sic; vel etiam ex quavis causa, tam antecedente, quam procatarctica, originem trahente; verum de tali ejus specie, in quam prægressus quidam, plane diversi generis adfectus certo, & post determinando modo terminatus est. Hunc autem adfectum cum constituerimus Colicam, de ea, & qualis illa sit, quæ in paralysin degenerare apta sit, operæ pretium erit quædam in antecessum, postquam de transitu morbi unius in alium, ejusque modis paucis egerimus, præmonere.

VII.

ſuerit, moleſtaque ſua præſentia moleſtum induxerit ſenſum, *pituitoſæ colicæ* nomen excogitatum fuit. Et has colici doloris differentias facile, tum ex ipſius ægri vitæ genere, victus ratione, habitu corporis, temperamento, aliisq; circumſtantiis, tum remediis juvantibus vel lædentibus colligere potuerunt. Si vero qua alia huic malo fomenta dedere, verbi gratia, vermes, calculi vel aliæ res præternaturaliter ibi genitæ, verbi gratia, ſcirrhus, œdema, aliive tumores; vel etiam ad deglutiendum ineptæ, deglutitæ, ut ſunt comeſti nuclei duriq; fructus, ex obſervatione *Zacut. l. 2. prax. admir. obſ. 27.* item oſſicula e pedibus gallinarum coctis abunde deglutita, ut eſt apud *Plat. 2. Prax. 1, 13.* quales quoq; fuere 100. illi aurei nummi a Nobili quodam, ne furtum innotesceret, deglutiti, ſed ob dulcamaram carnificinam multo enematum uſu tandem paulatim exploſi, *vid. Borell. Cent. 4. Obs. 25.* ab iis quoque fortaſſe denominatio facienda, atque colica verminoſa, calculoſa, ſcirrhoſa &c. (an & aurea? ſed absque riſu) dicenda?

X. Aſt vero prædictæ cauſæ & ſpecies colicæ nobis non faciunt ſatis, cum eædem facili negotio, & vel ſolo convenientium clyſterum ſubſidio poſſint exterminari, adeo ut paralyſis ex iisdem, præſertim, ubi humores vitioſi fluxiles adhuc ſunt, ſubſequutura nullo modo ſit metuenda; tum quia nullũ datur medium (occultos naturæ meatus, licet non negem, hic tamen eos non eſſe quærendos manifeſtior modus generandi patefaciet) per quod dictarum ſpecierum cauſæ ſatis evidentes, ad nervos, motus, tum naturalis, tum præternaturalis ſubjectum, deferri queant. Quærenda igitur alia colica, quæ ſobolis, tam conclamatæ moleſtiæ & ineptitudinis fœcunda mater exiſtat, vel manus ſaltem obſtetricantes fortiter porrigat.

XI. Ideo, quoniam tum ex fideliter communicata probatæ fidei Autorum, tum quotidiana fere praxi licet obſervare, morbum unum ſæpiſſime alterius ceſſationem inſequi, vel, ut ajunt, alteri manum porrigere alterum, cujus rei quoq; jam ſupra §. 8. mentio facta eſt, inquirere jam incumbit, utrum hac forte ratione ſuffragium liceat invenire pro tali colica, quæ ſcil. ex alio morbo relicta, vel adhuc eodem præſente, eamque fovente, rurſum in alium apta ſit terminari?

XII.

XIII. Obferret fe heic nobis fortaffis non inconveniens locus difcurfum faciendi de morbis compofitis, implicitis, confequentibus, eorumque differentiis, natura, caufis, modo generandi &c. verum quoniam breves nos effe futuros fpoponderimus, B. L. hujus rei curiofum ad Inftitutioniftas amice remittimus.

XIII. Difquirendum itaque nunc non quos morbos colica poffit fequi: id enim deducere velle magis curiofitatem quam utilitatem faperet; fed quibus ex hactenus obfervatis frequentiore partu fuos debeat natales. Eorũ non parcus apud Autores fiftit fe numerus: cujus tamen feriẽ non operofa prolixitate; fed curfim exprimere animus. *Febres continuas, tertianas, quartanas, aliasq; diuturnas* fæpe fubfequi colicam, & per eam finiri, imo, ut antea febres circuitu certo exacuatæ fuerant, & colicos dolores fubfequutos parem acceffionum ordinem retinuiffe obfervavit *Fernel.* ut notat *patholog. l. 6. c. 10. p. m. 574. a Rheumatifmo* fere univerfali fubortum fuiffe dolorem colicum notat River. *Obferv. Med. Cent. 3. obs. 22.* fuperato *catarrho* quendam colica correptum fuiffe obfervat *Th. Bartholin. Hift. anat. & Med. Cent. 4. Hift. 58. ex inflammatione inteftinorum* notat *Galenus in Introduct. c. 13. Paulus Ægineta l. 3. c. 43. ex abfceffu & ulcere, Foreft. l. 21. obf. 4. Holler. l. 1. d. morbb. intern. c. 41. ex inteftinorum in fcrotum defcenfu, Foreftus l. 21. obferv. 14. ex lue venerea, l. adhuc eadem præfente Zacutus l. 2. prax. admir. obs. 24.* Verum plura compilare nunc non eft animus.

XIV. Denique ut fcopo noftro jam propius accedamus, (cum quasdam difpofitiones morbofas, quas colicus dolor quandoque fubfequi folet, ex Autorum obfervationibus propofuerimus) dicendum eft, unicam adhuc eamque palmariam, fuperftitem effe, quæ cruciatus colicos vel revera tales, vel faltem fpurios, arctiffimo finu foveat atque fuftentet: eamque dicimus effe *Scorbutum*, (licet & hunc nonnulli Autorum notaverint) fontem & abyffum tot tantorum horrendorum imo mirandorum morboforum accidentium, ex quorum carnificina non minimum fibi vendicant titulum intenfiffimæ nonnunquam dolorificæq; illæ ventris infimi lancinationes, colicas perfæpe mentientes, quarum longiorem durationem frequentiffime membrorum externorum infequitur refolutio & impotentia movendi iamiam viva facie depingenda.

XV. At-

XV. Atq; innoteſcere poteſt ex his, qualem proli noſtræ adſignemus matrem? nimirum *colicam ſcorbuticam*. Verum objiciet fortaſſis non nemo: cur ſolum ſceletyrbicum adfectum hujus mali reum arguamus, cum tamen & poſt alias ægritudines infelici ſuperfetatione Morbona pariat paralyſin? huic reſpondere placet primo, quod licet hoc verum eſſe ultro fateamur, nobis tamen non eſſe ſermonem de paralyſi ex quocunque caſu præternaturali generata, ſed quatenus ea ſequitur colicam tantum; deinde non inficias imus, poſſe quidem paralyſin colicam ex aliis morbis, v. gr. quartana aut tertiana, obſtructione jecoris, ſplenis, catarrhis diuturnioribus &c. relictam ſubſequi, ſed & hoc adfirmamus, & probe obſervandum notamus, in his & ſimilibus jam adeſſe diſpoſitionem ſcorbuticam, ſi non perfectam & inveteratam, ſaltem inchoatam: quod, ſi prolixi eſſe vellemus, facile deducere poſſemus. Etenim ut ſolum de febre quartana dicamus aliquid, conſiderare licet, quam in eadem ſanguinis διάθεσις ſcorbuticæ διαθέσει ſit ſimilis & adfinis: conſiſtit namque quartana in diſpoſitione ſanguinis πνευματώσεως defectu laborante, ubi ſcil. portionibus ſanguineæ maſſæ ſpirituoſis, balſamicis & inflammabilibus ſubjugatis vel deflagratis, terreſtres ſive ſalinæ & Tartareæ prædominium, in fluorem exaltatæ, rapientes, nativa proprietate, i. e. acore ſanguineam imbuunt maſſam, pari ratione, ac vini vel cereviſiæ quantitatem quandam in vaſe quodam præſertim ſtanneo eoq; aperto, vel ſaltem una nocte reſtitantem (vulgo über Nachtſtehen / vocant) exhalatis particulis ſpirituoſis ſulphureis, videmus aceſcere, ſaporemq; ingratum guſtantibus præbere: non multum abſimili quoq; modo degenerat ſanguinis & propter hanc liquoris nervoſi κρᾶσις naturalis, dulcis alias & blanda, in ſcorbuto, depreſſis & ſubactis ſcilicet vel etiam exhalatis portionibus activis ſpirituoſis, in ſalinam & quaſi lixivioſam aut acidam ſtypticam δυσκρασίαν; magis tamen & manifeſtius ac in prædicta quartana; unde hæc facile in ſcorbutum perfectum poteſt mutari. De quo nos nunc non plura.

XVI. His ita prægustatis recto tramite tendimus ad thematis noſtri tractationem pleniorem, incipientes ab ejusdem definitione, vel ſaltem (ſed ex artis præſcripto) aliquali, ſi non ex aſſe luculenta, deſcriptione; quam ſic lubet concipere: *Paralyſis*

lysis ex Colica est voluntarii motus membrorum externorum sive artuum impotentia, a liquoris nervosi spirituascentia, ob communicata recrementa acetosa & narcotica, deficiente, proveniens.

XVII. Ut vero impotentia movendi melius imaginabilis esse possit, breviter scire oportet, qua ratione motus voluntarius perficiatur: dicimus itaq; spiritus animales cerebri & nervosi generis incolas, sec. nat. constitutos primarium ejusdem esse instrumentum, qui pro voluntatis imperio per nervos tum ad musculos, tum ad fibras cujuscunq; partis motivæ & movendæ intertextas delati, ibiq; turgidi rarefactionem & distentionem in iis moliuntur, qua facta non potest non & contractio musculorum versus suum principium sequi, quæ est propria ipsorum actio, ut docet *Excellentissimus* DN. D. MAURICIUS HOFMANNUS, *Chirurg. & Botan. Prof. Publ. Celeberrim. Sereniss. Elector. & Marchion. Brandenb. Archiater, Præceptor ac Patronus meus pie venerandus, Synops. Instit. Anat. Disp. 2. th. 5.* atq; sic spiritus animales explosi tractionem validissimam, instar vectis aut trochleæ efficiunt, docente *Willis, Patholog. Cerebr. Tract. 1. c. 1. p. m. 3.* motumq; spontaneum determinant.

XIIX. Refert præterea paucis indigitare, qualis esse debeant naturæ spiritus illi animales movendi potentiam debitam & naturalem habentes, inq; corpore motum regularem perficientes; quod ut juxta saniorum, rerum tum physicarum tum medicarum interpretum, veritatem propositam fiat, dicendum est, eos chylosi sanguinis per arteriæ magnæ truncum adscendentem ejusq; ramos & ramusculos in cerebri cancellis relicti portionibus valde activis, aliquantum spirituo salinis, nondum tamen perfecta purpura tinctis, optime tamen subtiliatis, natales suos debere; ibidemq; propriam illam qualitatem, quam cerebri substantia tribuere nata est, recipere, loquente ita paulo ante laudato *Excellentissimo* DN. D. M. HOFMANNO, *Synops. Inst. Anat. Disp. 18. th.* 2. i. e. naturam blandam, temperatam, ex amicabili particularum spirituo-salinarum, tanquam prædominantium, cum aqueis ad dilutionem, & tantillo terrearū & sulphurearum conjunctione oriundam, induere, atq; sic perfecti, blando itu & reditu tum operi nutritionis adsimilatione; tum partibus motoriis & sensoriis, movendi & sentiendi facultate; tum deniq; sanguini

guini fervidiori temperatura mitigante, naturali jure consulere. Laticem nervosum, quamdiu is recte se habet, spiritu & sale eidem combinato, seu volatilisato, constare; quibus modicum aquæ, qua diluatur, accedat, sulphur vero ac terra parum opus esse, statuit & *Willis Tract. de scorb. c. 1. p. m. 235.* Et in hac quamdiu vigent, & per novæ materiæ accessionem augentur, habitudine, vigent & sensuum, motusq; qua naturalis, qua voluntarii, (saltem recte sint conformata) organa, atq; sic debitas & necessarias functiones pro imperio animi sine molestia perficiunt.

XIX. Breviter jam proposita tum spirituum animalium natura; tum ratione, qua per eos potentia movendi sive motus voluntarius perficiatur, facile ob oculos poni potest, qua ratione partes movendæ, præcipue vero artus, ad impotentiam movendi disponantur, quando scil. status eorum naturalis pervertitur in præternaturalem, verbo: quando partes movendæ spirituum animalium, omnis motus autorum defectu laborant.

XX. In genere vero spiritus animales deficiunt vel *quoad substantiam*; vel *quoad qualitatem*: In substantia deficiunt, quando vel plane nulli; vel admodũ pauci generantur, idq; vel ob denegatum laudabilis chylosi sanguinis proventum, uti fieri potest in atrophia conclamata, aliisq; morbis chronicis lentaq; tabe interficientibus; vel ob varios ipsum cerebrum, spirituum animalium officinam infestantes morbos; quales esse possunt hydrocephalus, vulnera, (de vulneribus consentit *Greg. Horst. Disp. Medic. Witteberg. habit. 9. thes. 16.*) inflammationes, syderationes aliæq; corruptiones cerebri, quæ omnia materiam liquoris nervosi generationi destinatam absumunt, vel corrumpunt, inq; sibi similem, sed perniciosum humorem pervertunt: atq; si nulli spiritus animales, vel pauci saltem generentur, nulli quoq; vel pauci saltem, sed insufficientes muneri debito peragendo, influent. Quoad qualitatem vero deficiunt, quando ii quidem substantia præsentes libere per nervorum tubulos partibus movendis distribuuntur; sed portionibus heterogeneis, recrementitiis, iisq; diversæ malitiæ, referti sunt, quarum præsentia cum eorum adglomerationem justamq; ac naturalem explosionem (in qua potissimum actio movendi, consistit) impediat, fit, ut debita quoq; movendi potentia in partibus quasi suffocetur & evanescat.

XXI. Porro non reticendum est, spiritus animales quam sæpissime deficere ob nervorum, propter quos influere debent, præcipue principii spinalis medullæ obstructionem, uti frequentissime licet observare in paralysi post apoplexiam relicta, tum etiam specialius, ob nervorum exortus ex peculiari quadam parte derivandos obstructos, vel compressos; sic oritur quandoque paralysis crurum ob scil. nervorum, ex osse sacro vertebrisque lumbalibus orientium obturata principia: hac quoq; ratione paralyses specialiores, v. g. linguæ, oris, labiorum, oculorum seu palpebrarum, vesicæ, *Forest. l. 10. de cerebr. morb. obs. 92.* &c, produci existimandum est. Præterea deficere quandoque possunt spiritus animales adpropriatione, cum scilicet propter fibrarum quarumcunque partium nimiam exsiccationem ex caloris præter naturalis fervidioris voraci absumtione oriundam, iisdem adsimilari & adpropriari nequeunt, uti testatur experientia tabidorum & hecticorum.

XXII. Dictis hactenus modis spiritus animales defectum pati possunt; disquirendum nunc, quo ex nominatis paralysis ex colica deduci & generari possit? Dicendum itaque primo eandem non à nullitate seu omnimoda spirituum animalium in corpore absentia oriri. Tanta enim eorum est necessitas, ut impossibile sit hominem absq; iisdem vivere posse, præsertim cum juxta nonnullorum sententiam hypostasin animæ corporeæ constituant, animæque activitas sive potentia, quæ in corpus determinatur, secundario ab eorum impulsu dependeat, ut habet *Charlt. Exerc. Pathol. 8. §. 13. p. 94.* quod idem vel unico apoplexia forti & ex momento fere lethali tactorum exemplo evidens esse potest; horũ siquidem vita, principio spinalis medullæ obstructo, spirituumq; summe activorum & subtilissimorum influxu ad partes intercepto, præsentissimo fato abrumpitur, quod qua ratione fiat & medice deduci possit, cum non sit hujus loci disquirere, in alium forte commodiorem, remittimus.

XXIII. Dicimus (secundo) eandem non absolute propter spirituum animaliũ paupertatem sive paucitatem oriri; alias omnes ii qui frigidioris temperaturæ sunt homines, (vulgo pituitosi) paralysi laborarent: in his enim vel ob crudiores & minus perfecte elaboratas sanguinis portiones, flammæ vitalis activitatem &

multi-

multiplicationem retardantes; vel ob nativam flammæ vitalis debilitatem portiones sanguinis passivas debite subtiliare vel absumere ineptam, temperamenti frigiditas cernitur. Negata igitur debita & sufficienti sanguinis chylosi spiritibus vitalibus abundantis & laudabilitate & copia, negatur quoque sufficiens spirituum animalium ex hoc oriundorum proventus: hoc vero negato, negatur quoq; debita functionũ per eosdem obeundorum ratio; unde & tales homines desides esse & ad quemvis motum corporis exercendum inertes quotidie experimur; qui quoq; accedente præsertim & disponente causa quadam externa, quales esse possunt quotidianæ tempestates austrinæ, hyems item australis & pluviosa, quod facile, tanquam consectarium, elici potest ex Hippocr. *3. aph. 12. 17. & 23.* item cibi & potus δύσχυμοι atque debili calore non facile domabiles minusque fermentescibiles, naturaliter scil. facile paralysi, tentari possunt &c. Porro neque propter defectum spirituum animalium ob cerebri morbos supra recensitos paralysis nostra deduci potest; nullam enim harum adfectionum nisi quandoq; id fiat per accidens, præsente jam ipso morbo vel dispositione ad eundem in paralyticis, de quibus nobis sermo, observare licet.

XXIV. Dicimus (tertio) paralysin colicam non ab obstructione principii spinalis medullæ spirituum animalium descensum & influxũ inhibente dependere; talis namq; paralysis fere semper præsupponit apoplexiam, vel cum ipsa morte finituram, vel in ἡμιπληγίαν vel παραπληγίαν terminantem. Ast vero paralysin nostram apoplexiam præcesisse, quantum quidem ego memini, vix observatum est: imo si ex apoplexia, non ex colica oriretur, quod a nostro tamen instituto alienum; deinde dictum jam in antecedentibus paralysin nostram non oriri a defectu spirituum animalium quoad substantiam & influxum; quod tamen in illis παραλύσεως speciebus quæ post apoplexiam relinquuntur, fieri notum est.

XXV. Superest nunc, ut genuinam producamus causam, & modum imaginabilem, imo rationabilem, cur & quo paralysis generetur ex colica, quam supra diximus esse scorbuticam; verum operæ pretium erit Autorum quorundam, qui anxie se torserunt, quo pacto & per quas vias materia morbifica ex intestinis ad partes extremas feratur, atque paralyséos causa existat, sententias

 vel

vel opiniones adducere, & quantum iis tribuendum, vel ab iisdem recedendum, veritatis gratia, sed succincte, ob oculos ponere.

XXVI. Sicut autem de materia paralysin ex colica excitante discordes reperiuntur Practicorum sententiæ; ita multo minus de viis, & modo, quo, & per quas ex intestinis ad artus transferatur, inter se consentiunt. Alii enim a frigida & lenta materia id evenire censent, ut *Trincavell. de rat. curand. particul. corp. hum. adfect. L. III. cap.* 1. alii acres, mordaces, biliosos & serosos accusant humores, qui ex intestinis per modum κρίσεως a natura valida detrudantur ad artus: alii materiam plane non determinant: alii humores non illos, qui prius intestina doloroso sensu lancinaverant; sed jam a capite aliisq; partibus eo fluxuros accusant; alii nullam plane materiam vitiosam nervis eorumq; latici communicatam scire volunt, sed paralysin ex colica fieri statuunt a compressione nervorum, facta ab arteriis humoribus excrementiis (cruciatus intestinorum inducere valentibus) turgescentibus, uti vult *Highmor. Anacephalæos. tot. corp. &c.*

XXVII. De viis non minor, ut dictum, est dissensus. Alii namque per tunicas membranaceas intestinorum & mesenterii cum spina per ligamenta communicantes, humorem imbibitum ad sacram fistulam derivari, atque sic laxari & enecari medullam spinalem, nervosq; ab eadem distributos, juxta *Steghium Prax. Med. L. VIII. C. III. & Erast. Disput. de Medicin. nov. Paracels. part. 4.* Alii paralyseos ex colica relictæ causam morbificam non in intestinis hærere, neque ex iisdem ad artus detrudi, sed postquam humorum crudorum, crassiorum, eorumq; bene multorum & a capite per venas ad intestina effusorum (qui scil. colicos paroxysmos prius inducebant) maxima pars per alvum excreta ac per paroxysmos absumta est, ut jam quodam modo mitescere & rarius invadere colica videatur; tum reliquos humores & præsertim qui sunt in capite, propter dolores, inediam, vigilias, calidorum & incidentium usum attenuatos, relicta priori consveta via ad propiorem declinare, & ita secundum nervos ad musculos, & sic ad manus ac pedes contendere statuunt. *Hoffmann. ap. Scholz. Consil.* 173. & hoc ideo, quoniam natura sese exoneratura malit reliquias illas attenuatas in propinquum locum deponere, quam in locum tam remotum amandare; præsertim cum non, ut prius

tantis

tantis irritetur cruciatibus, & minor fiat a dolore attractio. Non igitur in intestinis humores, qui ad artus rejiciantur, contineri, sed eo, quo dictum est, modo, in artus deturbari, ut sequatur impotentia quædam in nervis, concludunt, adeoque non omnem colicæ speciem, sed eam tantum, quæ ex defluxione materiæ pituitosæ (cui se adjungere potest & bilis) a capite per venas in intestina fuit excitata, paralysin demum sequi posse. Alii materiam illam prius colicam causantem, & membra postmodum resoluturam ex intestinorum & mesenterii venis in venam cavam regurgitare, hincq; ad musculos a natura extrudi autumant, qui a materia illa præternaturali adfluente, respectu substantiæ nervosæ & membranosæ effeti debilesq; facti, vel spiritum animalem non admittant (quod fieri soleat propter plenitudinem) vel quantumvis eumdem habeant adfluentem, usque tamen motum & sensum exacte perficere nequeant (quod propter mollitiem nervorum, naturalem eorum tensionem, membrorumq; tractationem denegantem fieri existimandum sit, juxta *Greg. Horst. Disp. super univers. Medicin IX. §. 17. & Probl. Medic. decad. II. Quæst. 8. ut & Sennert. aliosq.* Alii ad τὸ ξύῤῥουν καὶ ξυμπνοῦν Hippocratis confugiunt, atque occultas Medicisq; peritis incognitas excogitant vias, quas natura adhuc valida in corpore vivente sibi paret, iisq; in translocanda materia morbifica ex intestinis ad artus, pro eorum resolutione introducenda, utatur, *Crat. in Epist. Scholz. 165. Laurent. Anat. L. IV. Quæst.* 8. Alii ex intestinorum hypochondriorumq; nervis ad dorsi vertebras, nervorumq; dorsalium exortus, motu critico, per insvetum iter, materiam indigestam & non evacuatam traduci credunt. *Joh. Marquard. Prax. Cap. de Paralys.* Quidam humorem morbificum ex colo per mesentericas arterias regredi, & in arteriæ magnæ truncum transferri posteaq; ad lumbares quoq; pervenire existimant, quæ sanguine turgescentes vicinos comprimant nervos, unde paralysis nascatur. *Adrian. Spigel. Hum. Corp. Fabr. L. VI. Cap. IV.* Quidam per μετάστασιν humorum, non vero illorum, qui jam in intestinis membranas lacessiverunt; sed qui per mesentericam inferiorem ad doloris continuationem fluxuri erant, in arterias lumbares cum sanguine ad spinam tendentes, fieri contendunt, quæ, dum vitiosis humoribus turgent, comprimant

mant nervos, quam compressionem intercluso spiritu sequatur paralysis. *Highmor. l.c.*

XXVIII. Verum videamus, utrum veritati consentiant hæc, nec ne? Et primo quidem, qui paresin ab humoribus frigidis, lentis & viscosis, qui prius colicum dolorem excitaverant, generari contendunt, nihil dicunt; quoniam tam crassa materia intra nervos, manifesta cavitate, eandem capere apta destitutos, insinuare se nequit. Quod si dicas: eandem ope medicamentorum calidorum in substantiam vaporosam attenuari ac subtiliari, quæ ad cerebrum delata, ex eo tandem ad medullam spinalem nervosq; ex eadem oriundos, deferri, sicq; paralysin inducere. Ad hoc respondendum; id minime fieri posse, eo quod jam supra colicam paralyseos nostræ matrem, ex pituitosis, crassis & lentis humoribus ipsis plicis tunicisve intestinorum impactis, oriri negaverimus: & si vel maxime concederetur, tales humores ope medicamentorum calidorum in vaporem sustolli, qui tandem in tenuem humiditatem, paralysin inducendam, resolvatur, fere semper paralysin talem præcederet vel apoplexia, vel alius affectus soporosus, vel etiam epilepsia; quod enim vapor hic resolutus in nervis spinalis medullæ potest efficere, spiritibus videlicet animalibus narcoticam vim imprimere, idem quoq; in cerebro potest, ubi spiritibus animalibus permixtus eos torpidos adq; influxum ineptos reddere, sicq; vel somno præternaturali vel apoplexiæ ansam dare valet; quod tamen in nostris paralyticis non experimur, vel saltem rarissime, & non nisi in mere cacochymicis,

XXIX. *Secundo*, qui ex acribus, mordacibus & biliosis humoribus artuum nervis ex intestinis communicatis paresin oriri statuunt, non æque veritati litant: humores enim tales valde sunt activi, quorum particulæ heterogeneæ cum spiritibus combinatæ, eos non sopiunt, aut ad motum obeundum ineptos faciunt; quin potius eosdem ad explosiones aptiores reddunt; ut ita potius motus convulsivos, quam resolutiones membrorum exspectare liceret.

XXX. *Tertio*, qui humores, non eos, quorum præsentia per fluxionem congesta jam prius colici cruciatus excitati fuerant; sed qui deinceps a capite reliquoque corpore adhuc erant fluxuri, ul-

ri,ulteriusq; inteſtina excarnificaturi, itinere priori relicto, deviantes, inſtrumenta motus infarcire, eaq; irrigando, humectando, & emolliendo, ad motum regularem obeundum inhabilia reddere docent, ii non paralyſin ſecundariam, ex alio ſcil. morbo natam; ſed primariam deſcribere mihi videntur: hac enim ratione colica nondum eſt cauſata, (quoniam humores illi nondum ad inteſtina tranſiere) ergo nec in pareſin degenerare poteſt.

XXXI. Nec illi rem acu exacte tangunt, qui compreſſionem nervorum factam ab arteriis, humoribus excrementitiis ſcatentibus & tumentibus, pareſeos cauſam ſtatuunt: tanta namque compreſſio fieri nequit a corpore pariter molli & facile cedente, ut omnis ſpirituum animalium, ad reſolutionem pariendam, intercipiatur influxus; imò propter compreſſionem nervorum potius ſtupore tentantur membra, quàm reſolutione; uti videmus quoq; in calculo vel inflamatione renum laborantibus, ubi tumidi renes muſculos lumbares, ψόας dictos, comprimunt; hi vero nervorum ex oſſe ſacro oriundorum principia, ita, ut aliquo modo ſpiritus animalis intercludatur, quo facto ſtupor crura invadit, qui quoque detumefactis renibus, hoc in caſu, ceſſat.

XXXII. Tandem, qui nullam humorum faciunt determinationem, illis nullam quoq; ſcribimus dicam; ſed pergimus ad examen viarum, per quas humores vitioſi ex inteſtinis ad artus translocari hactenus creditum eſt. Eam igitur opinionem, qua ſtatuitur humorem imbibitum per ligamenta inteſtinorũ & meſenterii membranacea ad ſpinam dorſi deferri, atq; ſic laxari medullam ſpinalem, nervosq; ab eadem diſtributos, vero non eſſe ſimilem dicimus ex ea ratione, quod medium hoc omni careat meatu & cavitate manifeſta, quibus mediantibus humores ex inteſtinis vel meſenterio, ſive pituitoſi, ſive bilioſi, ſive ſeroſi (ut horum, Veterum nempe Autorum fert ſententia) ad ſpinam deduci poſſint. Addo, quod in tranſitu horum, præſertim bilioſorum, vel ſeroſorum ſalſorum, adfectus in imo ventre ſpasmodici excitarentur immaniſſimi, propter ſcilicet irritationem ſpirituum animalium fibras nerveas & membranaceas harum partium incolentium, eorumq; exploſionem inordinatam urgentem; quod fieri tamen non obſervatur.

XXXIII. Deinde ſententia eorum, qui non humores in inte-

ſtinis ſtabulantes, eorumq;continuũ laceſſendo ſolventes; verum reſtantes, & propter dolores, vigilias, inediam, calidorumq; medicamentorum uſum adtenuatos, *Hofm. l. c.* & vel a capite, relicta priori conſueta via, ad propiorem, nervos nempe declinantes, atq; ſecundum horum ductum ad muſculos manuum pedumq; contendentes, vel per arteriam meſentericam inferiorem ad continuationem doloris fluxuros, ut *Highmor. l. c.* cauſam paralyſeos, de qua nobis ſermo, exſiſtere docent, §. 28. & 30. rejecta videatur.

XXXIV. Porro, quod attinet opinionem eorum, qui materiam morbificam, colicæ (ſive legitimæ, ſive ſpuriæ) cauſam ex inteſtinorum & meſenterii venis in venam cavam regurgitare, hincq; ad muſculos a natura valida & exonerare ſe volente detrudi exiſtimant, qui debiles facti vel ſpiritum animalem non admittant, vel, ſi maxime eum habeant adfluentem, usq; tamen motum & ſenſum exacte perficere nequeant, ſapit ea αἱματοκυκλώσεως ignorantiam: quippe ſanguis non per venas; ſed per arterias ad partes præſentiam ejus & adpropriationem deſiderantes, diſtribuitur: adeoq; non poteſt vitioſa materia per venas ad habitum corporis muſculoſum detrudi; quin potius, ſi maxime per arterias ad eundem translata eſſet, usq; tamẽ facile poſſet a venis reſorberi, (præſertim ſi tenuis admodum foret) rurſusq; ad interranea corporis ferri.

XXXV. Aſt vero, qui ad τὸ ξυμπνῦν καὶ ξυῤῥῦν corporum confugiunt, ad aſylum ignorantiæ confugiunt: cum enim hoc in nodo enodando viæ ſatis adſint manifeſtæ, non opus eſt occultos quærere meatus, per quos una pars alteri vel proficuum, vel noxium quid communicet.

XXXVI. Deniq; qui ex inteſtinorum hypochondriorumq; nervis ad vertebras dorſi nervorumq; dorſalium exortus, motu critico per inſuetum iter, materiam indigeſtam & non evacuatam traduci credunt; fere dicunt, quod res eſt; paucis tamen immutandis, omittendis, & addendis. Quandoquidem diſplicet, quod Autor hujus opinionis materiam illam indigeſtam & ex cura præpoſtera colicæ relictam, critico motu ex inteſtinorum hypochondriorumq; nervis ad vertebras dorſi translocari ſtatuat; eadem ſiquidem translata, & quidem non mutata ſive indigeſta, non

sta non tam impotentia motus, quam lancinationibus & doloribus acerbissimis, quales videlicet imum ventrem prius molestabant, ipsis quoque membris externis esset infesta: dolores autem vel penitus abesse, vel mites adesse in resolutis nostris, propriæ testantur eorum confessiones. Quod vero pertinet ad iter insuetum, fatendum equidem est, vere esse insuetum, *ratione scil. morbi prioris in melius terminaturi:* (remittunt enim dolores imi ventris) ratione vero morbi subsequentis, familiarissimum, imo ad incommodum hoc tendendum commodissimum; saltem hoc vel maxime heic notetur, non fieri id ipsum a natura προαιρέτως, hoc modo exonerare se volente, utpote cui facilius esset per propiorem & patentiorem viam, inferius nempe guttur, materiam sibi molestam, indigestam nimirum, & per id loci evacuandam, penitus extra corpus eliminare; quam (præsertim si consulto velit agere) ulterioribus cruciatibus & injuriis partes optime sibi famulantes exponere.

XXXVII. Jam tandem nostram hac de re sententiam subjungere fas erit: ubi revocandum in memoriam, nos hoc in casu præsubponere dispositionem scorbuticam, juxta probationes, in §§. superioribus adductas. Hinc uti secundum exactissimam ingeniosissimi *Willisii* de Scorbuto doctrinam, labem scorbuticam tum in rutilo vasorum sanguiferorum liquore; tum in blando fibrosoq; nervosorum ductuum latice latere, probabile est: ita propter horum inordinationes tam imi ventris dolores; (quos colicos cum vulgo nominavimus) quam ipsam quoq; paresin post hos secutam oriri deducemus.

XXXIIX. Dicimus itaq; colicam, quam sequitur paresis, *non esse legitimam*, sedem suam intestinum colum ejusq; tunicas & cavitatem tantum agnoscentem: sed *spuriam*, mesenterium ejusq; plexus tam atroci contumaciq; molestia prementem, ortumq; suum debere salium diversæ indolis simul congredientium luctæ mutuæ & effervescentiæ, qua partes nerveæ & membranosæ maxima quasi vi a se invicem divelluntur, & lacerantur, atq; sic ingentium evadit cruciatuum causa. Sales autem illos diversæ naturæ & activitatis latere putamus in humoribus paulo ante dictis, sanguine videlicet & succo nervoso, & quidem hunc per nervos mesentericos ex sexta cerebri conjugatione

 oriun-

oriundos recrementa sua acetosa, tanquam semen femininum, stagmatis vitriolici æmula, *vid. Willis Tr. de Scorb. p. m. 265.* circa mesenterii plexus aliasve hujus regionis partes nerveas deponere, quibus colluvies serosa sale fixo & lixiviali velut referta ex arteriis cum sanguine huc delata & juncta, propter discrepantes naturas, dum se invicem tolerare nequeunt, turgescunt, pugnam alunt, & lancinationes mutuis hisce, sed hostilibus congressibus, moliuntur dolorosas: non absimili ratione, ac Sal, Tartari, Nitrum & Sulphur, sibi juncta & accensa, quidquid ipsis circumjacet, rumpere faciunt atq; dissilire. Facta tali lucta & ebullitione humores prædicti salibus vel recrementis etiam prædictis scatentes multum a priori desciscere suspicamur indole, stagmatisq; vappidi & insipidi fere naturam induere; insuper etiã vim quandam stupefactivam & narcoticam adquirere arbitramur: uti fit, si liquores diversæ indolis, summe tamen activi, invicem commisceantur, qui propter iteratas effervescentias mutuo quasi colluctantes sese destruunt, prioremq; activitatem amittunt.

XXXIX. Hoc modo colicum, vel quasi, dolorem paralyseos nostræ parentem fieri arbitramur; jam quo modo hæc ab illa excludatur, videndum. Materiam itaq; illam post sæpe iteratas mutuas effervescentias residuam & deliquiũ passam, ναρκώσει quadam imbutam, non totam, vel quoad substantiam; saltem seminium vel fermentum ab eadem exhalare & absorberi aptum a nervis lumbalibus recipi & absorberi statuimus, per palindromiam scil. Per nervos enim ordinaria naturæ lege nihil revertitur, bene tamen extraordinaria, & præter naturaliter. Resorptum ita seminiũ morbidum paralyticum defertur ad medullam spinalem, cui similem communicat labem; quæ quoque ita quasi enecata, nervos utrorumque artuum ex eadem oriundos, similiter contagio hoc participes facit, cujus virtute figente, coagulante & stupefaciente, spirituum animalium, omnis motus autorum, concatenationes, ut optime vocat *Haly. l. 9. Theor. c. 9.* sive commercia rumpuntur, eorumq; emanatio & explosio (in quamotum naturalem consistere supra dictum est) inhibetur, quam non potest non motus impotentia & comitari, & sequi.

XL. Quam ob rem spiritualescentiæ defectu ipsos spiritus animales in hoc nostro adfectu laborare, quis amplius ambiget? Enimve-

nimvero ſatis patet hoc partim ex modo dictis, partim ex com-
paratione cum ſanguine: hic namque ſi multis recrementis cru-
dis, lentis & viſcidis refertus habeatur, vel etiam ſi contagio quo-
dam coagulante & narcotico ſit adtactus, torpidus; imo quan-
doq; plane redditur iners ad motum tum fermentationis, tum
circulationis; quorum tamen motuum beneficio ſpiritualcentia
ejus & perfectio naturalis, qua omnibus benefacit partibus, ex-
citatur, promovetur & continuatur: ita quoque ſe res habet in
negotio ſpirituum animalium, vel liquoris nervoſi, qui ſi recre-
mentis ſcateat heterogeneis, iiſque crudis vel nimium effetis, a-
deoque narcoticis; vel etiam contagio tantum ſimili, (quod in mi-
nima quantitate maximam habet efficaciam) ſit inquinatus, fer-
mentatio ejus naturalis ſufflaminatur; partes ſpirituoſæ in altum
enitentes & dominaturæ ſubjugantur, ſpirituum animalium unio
& commercium divellitur, omnisq; eorum turgeſcentia & explo-
ſionis conatus intercipitur & exſtinguitur. Et licet partes ha-
beant laticem illum cerebralem adfluentem, tamen quia prædi-
cto modo a laudabili & blanda natura ſua defecit, inq; ſtagma
quaſi vappeſcens degeneravit, plus obeſt ipſis, quam prodeſt: unde
quoque fit, ut dum circa juncturas articulorum ſubſiſtit, in duram
concreſcat ſubſtantiam, quam tophos & nodos vocare conſue-
verunt.

XLI. In cauſas evidentes, vim ſuam in propinquas & proxi-
mam exſerentes hoc in adfectu, cum ſit ſecundarius & alium
conſequens, aq; priori totus fere dependeat, quoad cauſam ſcilicet
antecedentem, non multum disquirendum eſſe reor; eæ ſiqui-
dem ſunt ſcorbutum conſtituentes. Hoc tamen addere viſum
fuit, non parum conferre huc errata circa victus rationem com-
miſſa; ſed præcipue circa motum, & animi paſſiones. Per mo-
tum intelligimus tum exercitia corporis immoderata ante paro-
xysmos dolorum imi ventris inſtituta, quorum uſu nervos alias
morbidos non parum debilitari, adq; facilem materiei morbificæ
ſuſceptionem, difficilemq; ejus repulſionem disponi conjicien-
dum eſt; tum motum venereum, qui, quantum nervis noceat, &
communis omnium Autorum conſenſus, & quotidiana, tam ſa-
norum, quam per intervalla ægrotantium, & inter hos maxime
podagricorum, loquitur experientia. Ex animi vero pathemati-

 bus

bus caput vere extollit ira, unde dolorum ægrotantes impatientiſſimi, diris imprecantur, & blasphemis non numquam ipſum Numen provocant & exagitant convitiis, in hoc ſibi maximum quærentes levamen: aſt vero vehemente pathematis hujus commotione, non ſolum humores & ſpiritus omnes intra vaſa libere fluentes, impetum facere; ſed & intra meſenterii plexus collecti & depoſiti commoveri, aq; nervis lumbalibus reſorberi & recipi poſſunt, quorum ad ſacram fiſtulam delatorum præſentia medulla ejus, nerviq; ab eadem oriundi enecantur quaſi, ſpiritusque animales ligantur, adq; motum perficiendum inhabiles redduntur, pareſisque, qua de ſermo nobis, inducitur. Cæteras res nonnaturales, qua neceſſarias; qua nonneceſſarias (niſi fortaſſis circa medicamentorum adminiſtrationem in curatione colicæ fuerit error commiſſus,) multum huc facere non arbitramur; ideoq; conſulto earum enumerationem, vi fortaſſis huc trahendam, omittimus.

XLII. Signa morbi hujus διαγνωστικὰ cuivis ad oculum patent. Adeſt enim heic partium reſolutarum ad motum impotentia: adeſt curvitas quædam & levis contractura in digitorum extremis: adeſt flacceſcentia carnis, partiumque quædam atrophia. His addi ſolent a nonnullis ſenſus ſive dolor exquiſitus, qui in vera paralyſi aliquando etiam adeſt, aliquando non, pro cauſarum ſcil. indole diverſa, & formicatio, quorum equidem ſymptomatum ratio hæc eſſe poteſt; quod videlicet fermentum, vel pars quædam liquoris nervoſi ab nervis lumbalibus reſorpta & ſpinæ ejusq; nervis comunicata nonnihil remaneat vappida & acetoſa, quæ dum ſubinde ad membranarum fibrillas articulorumq; partes nerveas irruit, vellicat eas disrumpitque, ut non poſſit non dolor exinde ſentiri moleſtus, quæ tamen liquoris nervei diſpoſitio in reliquis paralyſeos ſpeciebus raro videtur adeſſe. Formicationis vero ſenſum non aliunde provenire exiſtimamus, quam ob irritum exploſionis conatum. Enimvero dum ſpiritus animales particulis heterogeneis narcoticis irretiti & ab iis quaſi vincti ſeſe unire, copias exſtruere, exploſionemq; ab illarum vinculis expedire ſe volentes, moliuntur; ab his vero econtra arctius amplexi, luctam quaſi ineunt, ſed irrito & infauſto eventu, ſenſus

ensus formicarum reptantium gressum, vel vermiculorum inæqualiter prorepentium æmulus ab ægris percipitur.

XLIII. Quantum ad πρόγνωσιν, petenda ea est ex morbo primario, scorbuto nempe. Hic namq; si nimis altas egerit radices, sanguinisq; ut & liquoris nervosi crasis valde fuerit corrupta, diutius quoque durabit, sæpiusque & acerbius exacerbabitur, subinde scil. novo succedente fomite; & quibus multa circa juncturas articulorum coacervata fuerit materia vitiosa in nodos versa, longius tempus horum requirit resolutio & absumtio. Novi ego, qui per integrum annum, imo complures, hoc fuerunt conflictati morbo, quibus tandem pristinæ sanitati restitutis, usque tamen contracturæ leves digitorum in manibus, & membrorum aliqualis gravitas diutius perseverarunt, donec materia illa lente, quæ in membranaceis articulorum partibus substiterat, absumeretur tota. Sed & sæpe recurrit, sanguine videl. non integre restituto; quin per pravam victus rationem, & maxime præter alia vini Tartarei, quale Austriacum, Ungaricum & Transsilvanicum, &c. nimium & inordinatum usum, rursus infecto & male disposito. Alias ratione qualitatis eventus, per se non est lethalis adfectus; imo paucos hoc modo paralyticos factos nisi ferocius malũ accesserit, mortuos, & ipsi novimus, & aliorũ testantur observationes. Insuper lente terminatur tum ad salutem, tum ad alios quandoq; morbos, ut apoplexiam (aliosq; soporosos adfectus,) epilepsiam, arthritidem &c. lente, inquam, terminatur: non enim est morbus acutus ab effervescentia sanguinis nimia, vel subita ejusdem ut & spirituum animalium coagulatione & congelatione ortum suum trahens, quod alias in febribus acutissimis, pestilentialibus, peste ipsa, ut & famosis illis convulsionis speciebus; τετάνῳ, ἐμπροσθοτόνῳ, ὀπισθοτόνῳ. &c. accidit.

XLIV. Curatio jam subnectenda, quæ, ut rite peragatur, sciat Medicus, quæ sibi sint agenda: ideoq; cum ad ægrotum devenerit, interrogare oportet juxta *præceptum Hippocr. Lib. de affectionibus. text. 36. Edit. Cornar. quæ patiatur? & ex qua causa? & quot jam diebus? & an venter secedat? & quo victu utatur?* atq; sic ex alternatim factis interrogationibus & responsionibus aliisq; circumstantiis prudenti Medico facile obviis, indicationes, juxta quarum tenorem indicata seu auxilia postulata adhibenda, scientifice

tifice & circumſpecte colligat; hac enim ratione, ὅταν μὲν (ἰητρὸς) ἀρκέσῃ πρὸς τὸ ὀφθῆναι, ἐξαρκέσει καὶ πρὸς τὸ ἰαθῆναι: Si ſuffecerit(Medicus,) ad cognoſcendum, ſuffecerit & ad ſanandum. *Hippoc. l. de arte*. Itaq; ut in genere generalis omnium fere morborum indicatio ejusq; indicatum, quod eſt eorum ablatio, primo ſeſe inſinuat; ita per ſpeciales & ſecundarias, ad iſtius exſecutionem promovendam ſedulo laboret Medicus. Ut ergo ex artis præſcripto colicæ paralyſeos inſtituatur curatio, juxta ſeqq. indicationes ex mente *Coi* procedendum erit. Ut (1) præſens ægritudo, paralyſis nimirum ſeu impotentia movendi, ad quam curandam vocatus eſt Soter, tollatur (hæc enim eſt mens ægrotantis,) idq; (2) per cauſæ morbum hunc foventis & excitantis remotionem, perq; (3) rerum hanc foventium, vel ad eam disponentium debitam ſufflaminationem. Aſt vero, quod jam primum fuit in intentione, id ultimum erit in exſecutione, nimirum impotentia movendi partium movendarum non prius profligabitur, quã ejus cauſa reddita fuerit impotens: nec actus vel habitus movendi, prius reſtituetur aut redintegrabitur, quam cauſa eum excitare & promovere apta præſens & ſufficiens adfuerit. Porro, quoniam hic morbus inducias patitur, lente quoque eundum in principio, inq; primis viis expediendis opera locanda, ut ſatis fiat quartæ quæſtioni ab ægro vel adſtantibus petendæ: an venter ſcil. ſecedat? hoc ſiquidem decumbentes morbo duram certe plerumq; adſtrictamq; tenent alvum, cujus excernendorum ultra quam par eſt, retentio quantum partim ad morbi fere cujuscunq; præſentis fomentum; partim ad actuationis pharmacorum impedimentum conferre quandoque ſoleat, in vulgus fere notum eſt: Sed & hac agendorum ratione alii quoque licet obviam ire neceſſitati, ut videlicet convenienti convenientium remediorum uſu, reliquiæ illæ humorum variæ indolis, anſam quæ dederant prægreſſis infimi ventris torminibus, ſi quæ fuerint adhuc relictæ, una cum alvi latrina ſecedant; ne videlicet ſua præſentia rurſus ebullitionem excitare dolorumq; recidivam facere valeant, vel etiam ut talibus ſubinde adfluentibus moramq; ibidem nexuris omnis inhiberetur mora; & potius, uti vulgo loqui amant, per revulſionem foras prorſus eliminarentur. Subducenda igitur alvus, & quidem commodiori vix remedio, quam clyſteribus

ribus emollientibus & abstergentibus, quibus pro roborandis partibus nervosis & membranaceis, quæ huic generi singulari familiaritate benefacere vulgo perhibentur, addenda: Neq; sufficit semel enemata taliainjecisse, ex mente *Sennert. Prax. l. 1. part. 2. cap.* 27. sed iteratis vicibus, ut omnis materia peccans exturbetur. Purgationes fortiores hinc exesse plane jubemus, non vero minorativa, quæ dicuntur & blande laxantia per os adsumta ex Cassia, Manna, Crem. Tartar. sirupis laxativis diasereos, ros. solut. viol. solut. de pom. laxat. sir. de fumar. aliisq; pro lubitu & prudentia Medici paranda. Sed nec *Vomitoria* fine suo frustrabuntur; præsertim si adhuc minera pro colicæ recidiva adesse suspicetur, quæ inter optimum est Tartarus emeticus *Mynsicht. vel Dn. Ludovici.*

XLV. Expeditis primis viis ipsi statim paralysi subveniendum per causæ morbificæ exstinctionem: hac fini eligenda sunt remedia liquoris nervosi spiritualscentiam excitantia, augentia, promoventia, quibus simul copula heterogenea spir. animales quasi ligans & sopiens, adq; conatum vel actum explosionis ineptos reddens, suffocatur atq; tollitur. Præstant hoc tum evacuantia, tum alterantia: Excellunt inter illa *Diaphoretica*, quæ ut sanguinem aliosq; succos; ita & nervosum fermentando, spiritus animales ad rarefactionē ac turgescentiam disponunt, qui sic ad explodendum apti dominiumq; adepti recrementa illa acetosa & narcotica subjugant, illorumq; vinculis sese extricant, unde eadem, tanquam impurum a puro separatum, laxatis cutis & cuticulæ poris extra corporis provincias extruduntur: hæc inter caput extollunt calefacientia & discutientia, præsertim externa topica, quæ seminium morbidum insensibiliter discutiunt & evocant; quo absente spiritus animales liberius uniti, sua quoque liberius exsequuntur munia: secundas hic faciunt blando calore blandaq; humectatione sensim sensimq; degenerem liquoris nervosi naturam alterantia, inq; temperatiorem commutantia, tum interna, tum externa præsidia. Materiam illorum subpeditant nobis varia ex triplici regno petenda sale volatili in primis prædita tam simplicia, quam composita, ut sunt C. C. præp. Succin. præp. Rad. sarsaparigl. Angelic. Chin. Draken. Lign. gvajac. sassafr. juniper. Lapis bazaarticus, spiritus Salis, fuliginis, Sal C. B. absinth. bacc. Juniper. Diascord. Frac. Theriac. aquæ, sir.

& in-

& inſpiſſationes, extracta &c. modo dictorum aliorumq; multorum, quibus tamen ſemper antiſcorbutica miſcenda. Iſtorum vero materiam præbent ἀρθριτικὰ καὶ νευριτικὰ vulgo dicta tam intus ſumenda, quam extus adplicanda, ex quorum cenſu præſtantiora ſine dubio erunt, Tinctura Rorismar. tabac. it. Tinctura ſalv. major. fol. laur. cum ſpiritu Vini faciendæ & extrahendæ Tinctura bezoardica, Lunæ &c. vinum it. malvaticum, Tinctura Succin. balſamus Sulphur. ſpiritus Sal. Armoniaci, Esſentia Croci, Caſtorei &c. ol. deſtill. ſuccin. Macis, Cinam. Rut. arbor. vitæ &c. Extr. Chamæpit. Chamædr. angelic. &c. Specif. Celiphalic. D. Michaël. Chimiatr. Lipſ. famigeratiſs. Interea dum hæc fiunt, topica externa tum diſcutientia, tum blando calore & humectatione blanda ſuccum Nervoſum degenerem immutatntia non negligenda: ad illorum ſcopum adſequendum facient adprime inunctiones totius ſpinæ ac nuchæ usque ad extremum coccygis factæ ex Tinctura Roriſm. fol. laur. ſalv. chamæpit. chamædr. ol. lumbric. terreſt. hyperic. rut. deſtill. cinam. ſupraq; dictis &c. Hoc autem notetur diligenter, ne olea cocta ſola vel pinguedines ad uſum nimium vocentur, viſcidate enim ſua poros obſtruunt, diſcuſſionemque vitioſarum portionum impediunt; ſi quæ vero ex deſtillatis calidioribus uſurpanda viſum fuerit; diluantur ea Tincturis dictis ſimilibusq; vel aquas nervoſum genus ejusque ſuccum naturali amicitia amplexantibus: ita quoque de unguentis & emplaſtris judicandum. Horum deniq; numerum abſolvent malvacea quæq; blando, moderatoq; calore diſcutiunt, ut ſunt malva, althæa, verbaſcũ, parietaria, branca urſina, ſem. lin. fœn. gr. lac caprinum &c. ex quibus fomenta & cataplaſmata parari poſſunt, iis præcipue partibus adplicanda, ubi vaſa nervea nuda quaſi neq; multa carne & pinguedine tecta deſcendunt, uti ſub axillis, ſub poplitibus, in nucha & tota ſpina. Et ſiquidem non ſemper utrosq; occupat artus malum; igitur illi loco medicina facienda, unde maxime nervi ad artus derivandi exoriuntur: ut ſi paralyſis tantum crura teneat, oſſi ſacro ſubq; poplitibus talia præſidia adhibenda: ſi vero rami brachiorum reſoluti habeantur, vertebris cervicalibus dictis præſidiis benefaciendum. Balnea repetita ex acervo formicarum cum frondibus pini, item conis pineis, &c. egregii hoc in caſu uſus.

XLVI. Ultimam intentionem exſequitur medela ipſis liquoribus vitali & animali facienda; ſiquidem horum ſi redintegratio paretur, & partes ab iis vitam accipientes & ſanitatem, de eorum quoq; bonitate participaturas, adeoq; ſecundam motus potentiam recuperaturas, & omnem (quamdiu ipſi bene valebunt) recidivæ metum uſq; abſuturum certo polliceri nobis poterimus.

XLVI. Ea vero cum toties ſcorbutum ſubeſſe inculcatum ſit, perfici commodius non poteſt, quam præſidiis anti-ſcorbuticis, paſſim proſtantibus, quibus abſorbentia & præcipitantia commiſcenda. Inſignem heic præſtant uſum ſpiritus cochlearæ, item eſſentia ejusdem, ut & Eſſentia Trifol. fibrin. & Beccabung. Elixir. Propr. cum ſpir. Cochlear. paratum, ſpir. Lumbric. terreſtr. ſimplex & compoſitus, ſpiritus Tartari, præſertim dulcificatus, Tinctura Martis, maxime tartariſata, Vitriolum Martis, ejusq; ſpiritus &c. pulvis item *B. D. Michaelis*, abſorbens *Dn. D. Wedelii*, quem in Opiologia ſua deſcribit, quibus non incommode pulvis lumbricorum terreſtrium præparatus, una cum ſuccino præparato, vel ſale ejus, additur &c.

XLVII. Horum omnium uſu niſi ſanitas optata perfecte reſtituatur, ad thermas ablegandi ſunt ægri, quæ hoc in caſu inſignis eſſe efficaciæ, teſtantur obſervationes & experientia; nihilominus tamen etiam remediorum notatorum aliorumque convenientiũ uſus in ipſis thermis nõ penitus negligendus, ut ita quaſi per manus tradito auxilio membra omnia ad hoſtem eliminandum, ſuccosq; vitales alterandos, concurrant, priſtinoq; vigore recepto, functionibus ſuis rite peragendis præeſſe poſſint.

XLIIX. Interea victus ratio conveniens præſcribenda. Aërem eligant itaq;, quantum quidem fieri poteſt, purum & tenuem; vitent craſſum, nebuloſum uliginoſisq; vaporibus refertum. Adhæc eſculenta ſint in uſu & potulenta εὔχυμα καὶ εὔπεπτα; ſalſa fumoq; indurata, quæq; facile vappeſcentiæ labem incurrere poſſunt, fugienda. Pro potu ſumatur cereviſia mediocris, probeq; defecata antiſcorbuticisq; ut & antiparalyticis remediis condita; vel vinũ tenue & ὀλιγοφόρον, ſimiliter dictis remediis alteratum; multo vero Tartario eoq; crudo refertum, facile in vaſis effervescere & aceſcere aptum, angue pejus & peſte vitetur: hoc enim uti quandoq; ſummam facere poteſt in hoc noſtro adfectu producendo, ita

quoq;

quoq; præcautio ejus non poteſt non uſq; ſalutaris eſſe in hoc vel profligando, vel præcavendo.

XLIX. In motu porro & exercitiis corporis non minimum certe ſitum eſt commodum;is itaq;minime ſuspendatur;& licet præſente paralyſi videatur impoſſibilis ab ægro præſtandus, præſtari tamen poteſt ab adſtantibus,lecticæ hinc inde protruſione, vectione in curru &c.ut& geſtatione,navigatione,fortaſſis & frictione membrorum; imo, redeunte jam aliquantum ipſa motus potentia,ab ipſo quoq; ægro,dum is e lecto ſurgens,miniſtris, vel ſcamnis,vel ſcipionibus,vel aliis adminiculis innixus de novo quaſi adſueſcere cogitur ambulationi: ubi vero rurſus priſtinæ reſtitutus fuerit valetudini,exercitiorũ uſum ſedulo tractabit,moderate tamen,ne per motum immoderatum vires rurſum exſolvantur,corpusq; languidum reddatur; & econtra, ne per quietem otioſam ſanguis & liquor nervoſus tanquam aquæ ſtagnantesquaſi lentorem & ſitum contrahant, torpidiq; evadant. Ut autem nec Baccho,ſic nec Veneri, hac in ægritudine litandum : malum enim tunc vel augetur, vel recrudeſcit. Ex animi pathematibus quia multum ad hunc morbum vel generandum, vel exacerbandum facere poteſt ira, ea propterea ſumo ſtudio vitanda, ægerq;, ut non ex quavis levicula, imo ſæpe nulla, (quod fieri tamen maxima cũ noxa ſolet)iraſcatur, occaſione,monendus; ſed & adſtantes, ne huic rei præbeant anſam, erudiendi: imo ſic ſe gerat Medicus, ut ad ſalutem ægri ex artis præſcripto,quantum quidem posſibile,recuperandam,nihil intermittatur,ita quoq; ſe gerant æger & adſtantes, ut ad remediorum, ex artis præſcripto prudentiq; Medici conſilio præceptorum, tum adplicationem juſtam, tum neceſſariam actuationem promovendam,nihil omitattur.

L. Reſtaret nunc, ut exemplis ſive inſtantiis rem redderemus clariorem, & quæ circa quædam ſpecialiſſime notanda esſent,itidem innueremus:quoniam vero materiam hanc per ulteriores obſervationes & lucubrationes planius & plenius pertractandam, (Deo volente) propoſuerimus:terminum his ponimus, & Ei, a quo omnia bona proveniunt, SUMMO NUMINI, ſummas devotiſſimasque habemus dicimusq; grates.

FINIS.